

sunt aedes'; cf. v. 44. Quamquam praeter v. 22²⁾ prima pars fabulae usque ad v. 279 nulla exhibet posterioris re-
censionis indicia. Idem cum in v. 487—729 cadat cumque omnes dubitationes ex media fabulae parte proficiscantur, hac ipsa re meam de retractatione opinionem non medio-
criter confirmari existimo.

Graecum exemplar quod ignoramus dolendum est: nam merito licet universam fabulae indolem carpserint viri docti, singulas tamen partes mira quadam suavitate et hilaritate insignes esse nemo negabit. Paulo post annum 303 fabulam esse doctam non sine veri specie ex v. 395 conicias: qua de re cf. Droysenus (*Geschichte des Hell.* vol. I¹ p. 507 adn.) et Usenerus (*Symbola philol.* Bonn. p. 592).

Nec magis de actae fabulae anno constat. Nam quod Teuffelius ex v. 509sq. (*Stud. und Char.* 262) paullo post legem Semproniam eam editam esse coniecit ratione nititur nimis lubrica: nec firmior eorum ratio est qui a commemoratis nummis Philippeis (v. 440) proficiscuntur. Versum 480 Plautinum esse si constaret, post 561 actam esse statuere-
mus: nam quo tempore veteres tabernae 'veteres' dicuntur, eodem novae iam exstiterunt. Novas autem anno 561 ex-
structas esse ex Festi testimonio docere conatus est Urlich-
sius *Mus. Rhen.* vol. 5 (a. 1847) p. 157.

Testimoniis adde haec:

V. 11. Glossae Iuvenalianae ed. ab H. Keilio Halis 1876 p. VI: melculo : melle albo.

V. 30. intestabilis : sine fide et testimonio. Cf. Loewius *Anal. Pl.* p. 210.

Ad Curculionis nomen spectant Ausoniana haec (epist. 22): 'Quod nisi indulseris rogante me ut et mora habitandi ad commodum suum utatur et nauso aliave quavis navi us-
que ad oppidum praebita frugis aliquantulum nostrae ad-
vehi possit, Lucaniacus ut inopia liberetur mature: tota illa familia hominis litterati non ad Tullii frumentariam, sed ad Curculionem Plauti pertinebit.'

2) Addo Maxim. Niemeyer Berolinensem epistola ad Loewium data proponere hoc: quom amica e. q. s. Idem v. 76: Anus hic cubitare quae solet e. q. s. Eiusdem viri docti coniecturas commemoravi ad v. 447 et 506.